DE
FLAGRORUM
USU
IN RE VENERIA.

JO. HENRICI MEIBOMII

D E

FLAGRORUM

U S U

IN RE VENERIA.

Et lumborum renumque officio,

Ad V. Cl.

CHRISTIANUM CASSIUM

Episcopi Lubecensis & Holsatiæ
Ducis Consiliarium.

Rarioris argumenti libellus.



L O N D I N I.

MDCCLXXXIV.

Delicias pariunt Veneri *crudelia Flagra ;*

Dum nocet, illa juvat, dum juvat, ecce nocet.



JOAN. HENRICI MEIBOMII

DE

FLAGRORUM

USU

IN RE VENERIA.

Et lumborum renumque officio

LIBELLUS.

EN accipe sis tandem, amicissime Cassi, quem ex vino tibi debeo, *de flagrorum* non adeo invulgato *usu* discursum. Eum enim pollicitus tibi nuper fui, quum apud communem utriusque nostrum amicum Cl. Martinum Gerdesium, Illustrissimi Principis tui Consiliarium, ac Collegam tuum in cœna una essemus. Primum autem, qua occasione vix memini, ad morborum curationes

verbera & plagas aliquando facere dixi; quod παράδοξον vobis videbatur. Id vero experientia ita esse compertum, ego adserere, & ad Medicos provocare, qui passim id doceant, ac testentur. *Maniacos* sane jam olim Titus, Asclepiadis discipulus (qui sub D. Augusto vixit, ut in vitis Medicorum ostendi) lib. II. de anima, *flagellis* docuit *coërcendos, ut sinistro mentis judicio depulso resipiscerent*. Testis est Cælius Aurelianus lib. I. tardar. passion. cap. V. Ex amore melancholicos, aut insanientes, si alia nihil prosint, non pauci sunt, qui vapulare jubent; sæpe etiam errore discusso ad bonæ mentis frugem ipsos eo ingenio reduxerunt. Rhases, lib. I. Contin. cap. IV. subinde ex Judæo, Medico celebri, & quem in testimonium citat, τονέρωτομανη, ubi alia nil prosint, *ligari jubet, & vapulare fortiter, & pugnis percuti, idque vicibus repetitis, si non statim subsequatur effectus. Quum una hirundo*, ut ait, *ver non faciat*. Rhasi subscribit Ant. Guainerius, Pract. tract. XV. cap. IIX.

Et

Et Valescus de Taranta, Philonii lib. I. cap. XI. cujus verba ipsissima hæc sunt: *Si juvenis est, flagelletur culus ejus cum verberibus, & si non sistit, ponatur in fundo turris cum pane & aqua, donec veniam a sua insania petat; & teneatur in disciplina*. Si Senecæ credimus lib. VI. de benefic. cap. VII. *quorundam flagellis quartana discussa est*; ob atri forte lentique humoris ex flagellatione incalescentiam, & dissipationem ex motu, ut non inepte conjicit I. Lipsius, in Comm. Medicos alios gracilium corpora, ut pinguefierent & incrassarentur, virgis verberari voluisse, auctor est Hier. Mercurialis, lib. IV. de arte gymnast. cap. IX. & mangonum exemplis, id fieri posse, jam pridem ostenderat Galenus Meth. Med. lib. XIV. cap. XVI. Carnem enim ita elevari, atque ad eam alimentum attrahi, certum est. Membra insuper resoluta urticarum virentium fasciculis flagellari solere, ut calor sanguisque in partes pene emortuas alliciantur, in vulgus notum est: quas plagis ferulæ insuper

cædendas Themison voluit, lib. I. tardar. passion. apud Cæl. Aurelianum lib. II. Chr. Cap. I. Elidæus Paduanus, Consil. Med. CCLXXXII. ad faciliorem variolarum eruptionem tenella etiam, & innoxia infantium corpora, urticarum earundem incussu converberare non veretur. Monstro fere simile est, quod de verberum usu in alvi obstructione refert Thomas Campanella, Ordinis Prædicatorum Monachus, quem Neapoli Campaniæ olim novimus. Is Medicinalium lib. III. Cap. V. art. XII. *Princeps Venusiæ*, inquit, *Musica clarissimus nostro tempore, alvum deponere non poterat, nisi verberatus a servo ad id adscito.* Addit, *posse hoc metui dari, cogenti spiritum ad interiora*: quod nunc non disputo. Esse vero, qui in Venerem virgarum plagis stimulentur, aut in libidinem verberibus accensi despument, partemque illam qua viri sumus, ad flagelli numeros sonosque insurgere; hoc illud erat quod adserenti mihi tam facile credi non posse putabas. Faciam tamen ut id credas,

mi

mi Cassi, ubi testimoniis auctorum non proletariorum, non vice simplici id usu venisse ostendero, atque argumenta insuper dixero rationesque, ob quas fieri id ita potuisse, vel alii putarint, vel ego existimem. Nec tamen nunc de urticarum viridium in inguina incussibus verborum multum faciam. Iis enim brevitatem virgæ virilis, si sterilitas ob eam metuatur, emendari, virgamque magnificari, adfirmat Menghus Faventinus Pract. part. II. cap. de passion. membr. generat. Iisdem languentem aut sopitam Venerem excitari, vel Petronius tuus docere te poterit. Apud eum Eucolpio, *funerata erat pars illa corporis, qua quondam Achilles fuerat, & frigidior rigente bruma confugerat in viscera mille operta rugis; lorumque in aqua, non inguen erat*, ut verba sonant auctoris. Huic cum Enothea, Priapi Sacerdos, promisisset, *fascinum tam rigidum redditurum, ut cornu; nasturtii succum cum abrotono miscet, perfusisque ejus inguinibus, viridis urticæ fascem comprehendit, omniaque infra umbilicum*

lenta manu cædit. Ego de vera fortique flagellatione tecum acturus sum, deque ea primum nunc audiemus Joan. Picum, Mirandulæ Comitem, qui seculo abhinc uno ac dimidio vixit. Is. lib. III. contra Astrologos, cap. XXVII. de familiari quodam suo, *vivit adhuc*, inquit *homo mihi notus, prodigiosæ libidinis & inauditæ. Nam ad Venerem nunquam acceditur, nisi vapulet. Et tamen scelus id ita cogitat; sævientes ita plagas desiderat; ut increpet verberantem, si cum eo lenius egerit, haud compos plene voti, nisi eruperit sanguis, & innocentes artus hominis nocentissimi violentior scutica desævierit. Efflagitat miser hanc operam summis precibus ab ea semper fœmina quam adit, præbetque flagellum, pridie sibi ad id officii aceti infusione duratum, & supplex a meretrice verberari postulat: a qua quanto cæditur durius, eo ferventius incalescit, & pari passu ad voluptatem doloremque contendit. Unus inventus homo, qui corporeas delicias inter cruciatus inveniat: & cum alioquin pessimus non sit, morbum*

bum suum agnoscit & odit. Hæc Picus.; ex quo rei meminere Joan. Nevizanus, Silvæ nupt. lib. I. num. cxxx. & Thom. Campanella; loco adducto. Quod si animi non fallor, idem etiam cum Pici hoc familiari ille fuit, cujus Cælius Rhodiginus mentionem facit lect. antiq. lib. XI. cap. XV. & ex Cœlio Andreas Tiraquellus in lege connubiali XV. num. V. Ita autem Cœlius: *Non multis ante annis vixisse quendam in venereis non gallinaceæ salacitatis, verum ingenii stupendi maxime, quodque vix impetret fidem, ex adjuratissimis compertum est: qui quo pluribus affectus fuisset plagis, eo impetuosius ardentiusque in concubitum ferebatur præceps. Fuit omnino mira res: nescires utrum affectaret avidius verbera, an coitum: nisi quod illorum mensura libidinis voluptas constabat. Proinde extentis precibus diflagellari exposcebat pridie, quam id pateretur, flagello aceti asperitate obdurato. Quod si converberator lentius agere forte visus, velut exstimulante rabie, conviciis incessebat: nec factum sibi satis arbi-*

arbitrabatur, ni inter cædendum sanguis se ostendisset. Unus, opinor mortalium inventus, qui eodem impetu in supplicium ferretur, ac delicias: quique inter tormenta sensuum titillationes, ac æstuantem pruritum vel expleret, vel incenderet. Accedat his alius, consimili natura præditus ex Othone Brunfelsio, medico celebri: quem is, in Onomast. Med. in verbo *Coitus*, *apud Monachium, Bavariæ Ducum sedem, suo tempore vixisse, & cum uxore res mariti agere nequiisse, nisi acriter ante flagris concisum*, testatur. Addo vero & recens nuperumque exemplum, quod, dum Lubecæ hic ago, contigit. Civis quidam Lubecensis, butyri & caseorum propola, in platea habitans, quæ a molendinis nomen invenit, præter alia facinora ob commissum adulterium ad magistratum delatus, caussaque cognita urbe excedere, ac solum vertere jussus fuit. Meretricula, cui is adfuerat, coram Senatoribus judicio criminali præfectis, quos vulgo *die Gerichts-Herren* vocant, confessa est, nunquam illum acrius,

quam

quam virgis prius secundum dorsum ab se difflagellatum, arrexisse, & virum se præstitisse; officio vero peracto, nisi denuo flagris cæsum, vix ultra quidquam patrare potuisse. Adulter ipse idem primo quidem negare: serio tamen & severe interrogatus, non inficias ire. Testes do ipsos judicii criminalis id temporis Senatus nomine præfectos, Thomam Storningium, & Adrianum Mollerum, amicos meos, etiamnum, ut nosti, superstites. Quibus exemplis, quum fidem, ut puto, derogare nec velis, nec possis; videamus nunc tandem an aliqua monstrosæ hujus rei, ut videtur, reddi possit ratio. Si Astrologos consultum eas, rem omnem illi in astra referent, & cœlum accusabunt, quod peculiari occultoque influxu peculiarem ejuscemodi ac prodigiosam fere naturam hominibus aliquando conciliet. *Damnatam* nempe *dicent*, ut Picus ait, *in hominis genitura Venerem, atque adversis, ut alio modo minantibus radiis flagellatam*, qua de re pluribus edocere nos satagit Franc-

cisc.

cisc. Junctinus de judiciis nativit. cap. VI. Verum quum cœlum & astra causæ sint universales, & quæ tam particulares effectus in uno atque altero individuo caussare nequeant, rejicit eas non immerito Picus, & causam proximiorem quærit. Putat autem eam in familiari suo fuisse consuetudinem. Ita enim in narratione illa pergit: *A quo, diligenter tam insolitæ pestis causam quum sciscitarer; a puero, ajebat, sic adsuevi. Et me rursus consuetudinis caussam interrogante, educatum se cum pueris scelestissimis, addidit, inter quos convenisset hac cædendi licentia, quasi precio quodam, mutuum sibi vendere flagitiosa alternatione pudorem*. Ejusdem est sententiæ Cœlius, Pici ut historiæ, ita & opinionis in caussa adsignanda, transcriptor: cujus hæc verba; *Quod nec mirum minus est, non latebat hominem flagitii inusitata species, seque in eo execrabatur, ac sibi ipsi erat infestus. Cæterum consuetudine depravata amplius prævalente, utebatur vitio, & improbabat. Irroborarat vero ea, radicesque*

eo-

egerat altius, quod ita erat assuetus puer, communicata stupri fœditate inter æquales plagarum allocłatione. Documento inde præsigni, quantum moribus inolescendis educationis possit ratio. Hæc illi. Ego vero non nego, consuetudinis vim esse magnam; ac fere in naturam eam abire, pridem me docuit Aristoteles, lib. de memor. & reminisc. cap. III. & lib. VII. Et hic. cap. X. Et notavit Ennius ubi ait

Usus longus mos est, ac meditatio crebra;
Hunc tandem assero naturam mortalibus esse.

Eleganterque ostendit Galenus, quantam vim & potentiam consuetudo in omnibus rebus habeat, lib. de Consuetud. cap. II. & III. alteramque naturam vocat lib. II. de temper. cap. IV. & lib. III. de simplic. cap. XIIX Forte etiam in Cœlii illo, aut Pici. exemplo, successu temporis consuetudo aliquid ad rem facere potuit. At in altero Brunfelsii, aut quod ego com-

commemoravi, caussa illa non procedet. Et cur alii ejusdem sodalitatis pueri, cum Pici familiari idem non passi sunt? inquit Thomas Campanella superius adducto loco. Consuetudo enim particulariter tantum aliquid caussat, atque in uno aut altero saltim individuo. Neque omnes isti quos recensuimus, ab ineunte ætate flagitiosa illa alternatione pudorem sibi invicem vendidisse, aut flagris in Venerem primis ab annis se invitasse, verisimile est Gratulamur nos Germaniæ nostræ, quod scelera ista perversæ Veneris, & puerorum contumeliæ, aut mutuæ alternæque marium inquinationes in ipsa fere ignorentur, aut ab aliquo forte perpetratæ (si tandem exemplum reperias) severe flammis ultricibus puniantur. *Nihil tale novere Germani : & sanctius ad Oceanum vivitur*, dicebat olim de majoribus nostris Quinctilianus, Declamat. pro milite Mariano; cujus pudicitiam tentaverat Tribunus; qua de re plura diximus in Comment. ad jusjur. Hipp. cap. XIIX. Quum itaque nec astra, nec

nec sola consuetudo in caussa sint, ob quam flagra libidinem concitent, videamus porro, num alia quæpiam subesse queat; quam ut investigemus, utique paullo altius nobis res fuerit arcessenda. Sciendum igitur, flagellationem istam, virgarumque incussus, non alibi quam in dorso factos: quod & meretricula Lubecensis illa confessa est, & de cæteris æque certum est. Neque enim partes illæ, quibus viri sumus, virgarum flagra, & quidem ad sanguinis eruptionem, ferre queunt: & communiter flagra tergo sive dorso incutiuntur. Dorsi autem potissimam partem absolvunt lumbi. Pars nempe illa corporis, cujus fundamentum sunt quinque vertebræ, quæ post thoracis vertebras locatæ, ad os sacrum continuantur. Has musculi, & cum adipe cutis extrinsecus tegunt, intrinsecus musculi succingunt, quos Græci ψοαι appellant. Iis porro incumbunt renes, dexter & sinister, unus in quoque latere, & quatuor fere vertebrarum spatium sua magnitudine occupant; ac venæ cavæ arteriæque ma-

gnæ annectuntur. Tam a vena autem cava, quam arteria magna, magna & insignia renes in se recipiunt vasa, quæ *emulgentia* vocant; uterque nempe utrinque vas unum; venam & arteriam: quæ per ramos deinde in ipsam eorum substantiam varie disperguntur. Dextra parte venæ cavæ, sub ipsa emulgente, oritur *seminaria vena dextra*, & eodem loci ex arteria magna, *arteria seminaria*, utraque ad testiculum dextrum descendens. Parte sinistra, arteria seminaria ex magnæ arteriæ trunco, vena vero seminaria ex sinistra vena emulgente profectæ, sinistro testiculo inseruntur. Nec desunt nervi, qui ex spinalis medullæ portione, in prædictis vertebris contenta, ad renes mittuntur, nec in eorundem tantum tunicas; sed substantiam quoque pertingunt. Ex ipsa demum cavitate renum, ureteres producti vesicæ implantantur. Hæ partes omnes, ut una lumborum appellatione venire possunt: ita unum communemque etiam iis usum adsignari par erat, ut recte statuit Marsil. Cagnatus Va-

riar.

riar. Lect. lib. IV. cap. VII. In singularum quidem partium usum, ossium, musculorum, renum, vasorumque, sat accurate inquisivere auctores, at quem in commune omnes conferant, insuper habuerunt investigare. Cagnatus omnes, quamque tamen suo modo, semini tum elaborando, tum ipsi generationis operi perficiendo, quod naturalissimum vocat Philosophus lib. II. de. an. text. XXXV. dicatus censuit. Neque alio videntur inclinare Hieron. Montuus Pract. part. I. lib. IV. cap. ult. & e JCtis vestris Andr. Tiraquellus, L. Connub. XV. num. XL. XLI. XLII. Atque id quidem non immerito, nec temere. Tale quid enim & lumbis, & renibus, ac lateribus, tum sacræ literæ, tum antiquitas omnis, sive sacros, sive profanos scriptores consulas, unanimi consensu jam olim attribuerunt. Et sacræ quidem literæ opus generationis lumbis non uno in loco deferunt, ut Genesios cap. XXXV. vers XI. *Reges de lumbis tuis egredientur*; & apud Apost. Epist. ad Hebr. cap. VII. vers V. *Filii Abraham*, dicun-

cuntur ; *egressi de lumbis ejus* ; & vers x. *Levi in iisdem fuisse* dicitur. Unde Origenes, dum Homil. I. in illud Psal. XXXVII. v. IIX. *Lumbi mei impleti sunt illusionibus* : commentatur ; *In lumbis* inquit, *humanorum seminum receptaculum esse dicitur, ex quo illud genus indicatur peccati, quod per libidinem geritur*. Et proverbium est apud Hebræos, ut *lumbos præcingere*, aut *succingere*, dicant pudicitiam servare, & a libidine sibi temperare. Hoc respectu Jehovah ad Jobum, Jobi C. XXXIIX. v. III. & C. XL. v. II. *Accinge sicut vir lumbos tuos*, h. e. sicut vir fortis restringe luxuriam : *ut in iis sit*, inquit Isidorus Orig. lib. XI. cap. I. *resistendi præparatio, in quibus libidini est usitata dominandi occasio*. Huc trahit D. Hieronymus Comm. in Nahum, illud Prophetæ c. II. v. I. *Contemplare viam tuam, conforta lumbos, robora virtutem valde*. Uti & illud de Johanne Baptista, Matth. c. III. v. IV. *Habuit zonam pelliceam circa lumbos suos*. Neque aliter intelligendus Esaias cap. XXXII. vers. XI.

Je-

Jeremias cap. I. vers. XVII. D. Paulus ad Ephes. c. IV. vers. XIV. neque Salomo, qui de muliere forti & pudica ait: *Accinxit fortitudine lumbos suos* Proverb. ult. vers. XVII. Apud D. Petrum vero Epist. I. cap. I. vers. XIII. *succinctum esse lumbos mentis*, est luxuriam a cogitationibus arcere; ait Montuus loco laudato. Fallor etiam, an & Romani huc oculum intenderunt? quando *cinctum esse*, modestiæ, disciplinæ, modestique animi putarunt argumentum, *discinctum* vero mores dissolutos notare: qua de re plura dixi in Mœcenate. Hodie in Galliis moris est, ut iis, quibus Apollinaris laurea tribuitur, fascia sericia, tanquam insigni quopiam lumbi succingantur. Eo Franc. Ranchinus Comm. in Jusjur. Hipp. castitatis necessitatem in Medicis notari censet; Zonam enim renum coercitionem indicare, & effrenatæ lumborum cupiditatis abstinentiam. Hinc Dianam, castitatis Deam, semper zonam gestare ab antiquis creditum: Hinc *zonam solvere* in verbis esse nuptis, & virginitatis imminutio-

nem

nem notare. Et recte Aetius Tetrab. I. serm. III. cap. IIX. Veneris usum nocivum esse ait illis, qui lumbos aut renes habent imbecilles. Eamque ob caussam Petronio in Satyrico, *lumbi soluti*, sunt Venere enervati. *Sed & podagricum se esse*, inquit, *lumborumque solutorum omnibus dixerat*. Tales Catullo Epigr. XVI. sunt;

> *Qui duros nequeunt movere lumbos.*

Quibus opponit Martialis lib. v. Epigram. LXXIX.

> *Lascivos docili tremere lumbos.*

Et Auctor Carminis liberi *fluctuantes lumbos* Carm. XIIX.

> *Ecquando Theletusa circulatrix*
> *Crissabit tibi fluctuante lumbo.*

Fluctuare enim est crebro moveri, & ad exemplum fluctuum inquietari. Græcis est ῥικνοῦσθαι, Latinis *crissare*. Inde

Inde ῥικνῶμα, impudicæ saltationis genus. Et respicit huc Persius Sat. I. ubi de lascivis versibus, & quæ libidinantem pruritum auditoribus excitant; ait:

. . cum carmina lumbum
Intrant, & tremulo scalpuntur ubi
intima versu.

Et Juvenalis Sat. VI. de tibiis Sacerdotum Bonæ Deæ:

Nota Bonæ secreta Deæ, cum tibia
lumbos
Excitat, & cornu pariter vinoque
feruntur.

Quare etiam Isidorus loco adducto *lumbos ob libidinis lasciviam* dictos vult, quod viris caussa corporeæ voluptatis in ipsis resideat. Nicolaus Perottus, in Cornucop. planius a libidine seu appetentia deducit. Esse enim *lumbos* a *lubendo*, insertam litera, quod sæpe usu venit. Ita *cumba* a *cubo*, a *pago pango*, a *frago fran-*

go, ait doctissimus Matth. Martinius, in Lexico Etymol. Atque ut lumbis, ita & renibus, lumborum parti, & quidem principi, si conformationem spectes, idem officium tribuitur. Hos enim ad generationis officium facere lib. II. Reg. innuitur, cap. VII. vers. XII. *Filius qui egreditur de renibus tuis*. Unde Tertullianus lib. de carnis resurrect. vocat *renes concios seminis*. Hesychius Presbyter, quem corrupte Isicium vocant, Comment. in Levit. lib. I. *Renes*, inquit, *sunt coitalium seminum ministeria*: & mox: *in renibus coitalis operationis sunt semina*. D. Augustinus enarrans Psalmi VII. v. II. scribit *nomine renum delectationes Venerias intelligi*. D. Hieronymus Comm. in Nahum Prophetæ c. II. *Omnia* ait, *opera, quæ ad coitum pertinent, renum appellatione venire*: quod fere repetit Comm. in Ezechiel. c. XVI. Verba insuper illa Jeremiæ, c. XVII. vers. X. & Apocalyps. c. II. vers. XX. *scrutans renes & corda*; Nicolaus Lyra explicat: *examinans & puniens concupiscentias & cogitationes malas.*

malas. Per *cor* nempe *cogitationes*; per *renes* in sacris literis *concupiscentiæ* intelliguntur. Itaque Psalmog. Ps. XXVI. v. II. Deum rogat, ut *renes ipsius & cor urat*; & ex ipso Ecclesia in Hymno illo. *Ure igne sancti Spiritus, renes nostros, & cor nostrum, Domine; ut tibi casto corpore serviamus; & mundo corde placeamus*. Et communiter Theologi per id, quod Exodi XII. vers. II. precipitur iis, qui agnum paschalem comedebant, ut *renes accingant*, intelligunt *refrenationem libidinis*. Ausonius *renibus uti*, usurpavit pro *libidini indulgere* Epigr. XIII. *Utere rene tuo*. Et vulgo joculari sermone nostratibus *renes purgare* dicuntur, qui Veneri litant. Quæ caussa est, cur Hippoc. lib de morb. int. Aristoteles Prob. sect. IV. Probl. II. Galenus lib. VI. Comm. VI. Aetius Tetrab. I. serm. III. c. VIII. Avicenna lib. III. sen. IIX. tract. II. c. XI. plurimique Medicorum alii, Veneris usum nimium renibus obesse nos docuerunt. Quæ caussa etiam est, cur Fulgentius Mythol. lib. III. *Ve-*

pcri renes dicatos scribat . Quod si etymologiam denique nominis , & originationem inquisieris , Varroni . Romanorum doctissimo , ut vocat Quinctitlianus Instit. Orat. lib. x. cap. I. *renes* dicti fuere ἀπὸ τῦ ῥεῖν, *quasi rivi ab his obscœni humoris*, puta seminis, *oriantur*, si Lactantio credimus lib. de Opific. Dei c. XIV. & Isidoro Orig. lib. XI. c. I. Neque est , ut per obscœnum humorem urinam intelligas , quibusdam placere video . Explicans enim Varronem Isidorus, *Venæ & medullæ* , inquit , *tenuem liquorem desudant in renibus* , *qui liquor rursus a renibus calore Venerio resolutus decurrit* : quod de urina nemo sanus dictum adserat . Et Hebræi *renes* a *concupiscentia* appellant בליות. Nam בלה est *efflictim cupere*. Et quia renes in lumbis ad *latera* sunt siti , hæc etiam ad Venerem & opus generationis facere , creditum fuit . Hinc apud Ovidium lib. I. Amor. El. IIX. pudicissima illa fœminarum , ut credebatur , procorum vires probatura , & robustum latus ,

tus, arcum ipsis proponit, jubetque νευρειην ενταννσαι.

Penelope vires juvenum tentabat
in arcu;
Qui latus argueret, corneus arcus
erat.

Nec inficias it Penelope ipsa in Carmine libero Epig. LXIX. ad procos.

Nemo meo melius nervum tendebat
Ulysse;
Sive illi laterum, seu fuit artis
opus.
Qui quoniam periit, modo vos intendite; qualem
Esse virum sciero, vir sit ut ille
meus.

Hinc El. x. Ovidio lib. II. Amor. *lateri vires dare*, est concitare in libidinem;

Et lateri dabit in vires alimenta
voluptas.

Et Apuleio lib. IIX. *industria laterum* est potentia in rebus Veneriis : *Fortissimum* , ait , *adducam resticanum , industria laterum atque imis ventris bene præparatum* . Juvenali vero & Ovidio *lateri parcere* , est a Venere temperare . Ita enim ille de Catamito , Sat. VI.

—— Nec queritur , quod
Aut lateri parcas , nec quantum jussus anheles .

Hic vero lib. II. de arte :

Et lateri ne parce tuo : pax omnis in illo est .

Contra Martiali lib. XI. Epigr. CV. *latus rumpere* , est Veneri nimiam operam dare :

Et juvat admissa rumpere luce latus .

Et lib. XII Epigr. XCIIX.

Rumpitis

Rumpis Basse latus, sed in comatis.

Item Tibullo, aut si quis alius est auctor, in jambis ad Priapum.

Et inquietus inguina arrigat tumor,
Neque incitare cesset, usque dum mihi
Venus jocosa molle ruperit latus.

Petronius in Satyrico dixit *latus convellere*. *Timebam*, inquit *ne frater latus convelleret*. Alibi etiam *latera invalida*, *emerita*, *exfututa*, *defecta*, & *defessa*, sunt Venere exhausta. Ovid. Amor. lib. III. Eleg. x.

Vidi ego cum foribus lassus prodiret amator,
Invalidum referens, emeritumque latus,

Catullus Epigr. VII.

Cur non tam latera exfututa pandas?

Priapus in Carmine libero. Epigr. XV.

Ipsi cernitis exfututus ut sim.
Confectusque, macerque, pallidusque, &c.
Defecit latus, & periculosam.
Cum tussi miser expuo salivam.

Suetonius in vita Caligulæ c. XXXVI. *Valerius Catulus, consulari familia juvenis, stupratum a se Caligulam, ac latera sibi contubernio ejus defessa, vociferatus est.* Apulejus lib. VIII. *Diu vivas; & Dominis placeas, & meis jam defectis lateribus consulas.* Ex quibus omnibus tam clare liquet, ut Plauti verbis hic utar,

Quam solis radii olim, quum sudum est, solent

neque novam esse opinionem, aut nuper natam, sed fundamentum habere in unanimi totius antiquitatis consen-

sensu, sacrarum etiam literarum testimonio firmatam, lumbos, luborumque partes, renesque ad generationis opus facere. *Communis* autem *sententia*, seu *Doctorum opinio*, ut Jurisperiti tui loquuntur, Cassi, *non potest totaliter esse falsa*. Quæ itaque ei rei subsit ratio, operæ precium, nunc porro fuerit inquirere. Simul enim & causam invenerimus, ob quam lumbis inflictæ plagæ & flagrorum verbera, libidinis sint incentivum. Cagnatus quidem, & qui ipsi favere videtur, Montuus, rem omnem lumbis tribuit, quatenus ex iis constituuntur partibus, quas paullo ante recensuimus. Ex vertebris nempe, musculis, renibus, venis, arteriis, nervis. Ita tamen, ut venis & arteriis seminariis principatum tribuat, ut quæ & materiam semini præbeant, albescentemque humorem, qui vel semen jam sit, vel mox futurus, in se contineant, & a se ad testes amandent. Atque ab hoc humore, in venis arteriisque turgente seminis projiciendi prolubium ait excitari, & pollutiones nocturnas

caussari, in iis præsertim, quibus ob decubitum in dorsum vasa illa incalescunt. Bartholomæus Montagnana Consil. Med. XXXVII. & Nemesius Philosophus lib. de nat. hom. c. XXVII. renibus, parti lumborum, rem totam transcribunt; quod & Ioh. Matthæus facit, Quæst. Med. xc. Garyopontus, medicus Latinus, sequioris tamen ævi, lib. III. Pract. c. XXXIV. & nuper Cl. Dan. Sennertus, Præceptor olim noster, & amicus, dum in vivis erat, honorandus, Pract. lib. III. part. VII. Sect. I. c. I. Nec tamen omnes illi eodem modo rem explicant. Barthol. Montagnana quidem, examinans Avicennæ locum lib. XIIX. fen. III. c. de renibus & ren. calc. *Subtiliter*, ait, *memorandum est, propter quid renum debilitas ab Avicenna dicatur caussa defectus coitus*. Et postquam dixisset, materiam seminalem perfectionem adæquatam indipisci a testium temperie & facultate, subjungit: *materiam candem necessum habere prædisponi in membris superioribus, in quibus potentior sit vis digestiva, ut in hepate & renibus:*

nibus: in illo nempe remotius, in his proximius. Et proinde concludit. *impossibile esse semen verum generari, nisi membra illa, hepar nempe & renes, sint debite complexionata & organizata, in complexione & unitate sua*. Nemesius vero salsedinem tantum quandam a renibus ad testes transmitti putat, quæ appetitum, aut pruritum potius, in genitalibus excitet, atque ita suo quodam modo ad Venerem faciat. *Renes*, inquit, *sunt sanguinis purgamina, & ad coitum fiunt caussa appetitus. Nam venæ quæ in geminos delabuntur, per renes transmeant, & illinc acorem quendam hauriunt appetitum irritantem, eo modo quo sub cute genitus acor pruritum facit; & quo geminorum pulpa cute est mollior, eo magis illi ab acore lancinati, furiosam ad egerendum semen irritant cupidinem.* Neque aliud innuunt Isidori verba paullo ante adducta. Atque eadem fere est Io. Matthæi sententia, nisi quod reni sinistro hic plus tribuat, quam dextro. *Vena enim seminalis sinistra*, inquit, *emulgenti*

juxta renem sinistrum implantata, sanguinem multa salsedine aquosa dilutum ad excitandam ορμην *& generationis stimulum subministrat.* Garyopontus ait, *renes natura musculosos esse, & nervos ipsorum inhærere cavernis, quæ genitale semen contineant.* vim nempe σπερματοποιητικην ipsis tribuit, atque ita tribuit ut ipsum in illis semen elaborari & contineri credat. Quæ sententia etiam est Cel. Sennerti, quamvis hic longe aliæ ratione eam proferat, & dilucidius mentem suam explicet, ac proximius ad αυτοψιαν Anatomicam, quam Garyopontus. A Renibus nempe non stimulum saltim partibus genitalibus communicari, sed semen ipsum in iis elaborari, atque ab iisdem porro transmitti censet. Idque ex eo primum colligit, quod renes peculiare parenchyma habeant, a cordis substantia, ut adparet, non multum differens, aut hepati potius simile, ut vult Aretæus lib. II. de morb. diut. c. III. Peculiari autem parenchymati, quæ Galeni est maxima, lib. VI. de decretis Hippocr. & Plat. peculia-

ris

ris vi sanguinem elaborandi, ut ceterorum viscerum parenchymasi, denegari nequit. Deinde, quum vena emulgens venarum omnium a vena cava prodeuntium sit maxima, & plus sanguinis in renes advehat, quam iis requiratur alendis: arteria insuper amplior sit, quam seroso humori depurando sit opus, verisimile esse credit, naturam, quæ nihil frustra facit, vasa illa tanta amplitudine nunquam efformasse, nisi peculiarem finem spectasset. Quem quidem finem non alium esse concludit, quam sanguinis arteriosi ad renes delationem, ut in ipsorum substantia cum sanguine venoso mixtus, & alteratus, semini generando materiam suppeditet, ad testes deinde transmittendam unde porro quærit, qui fiat, nisi sententia hæc admittatur, quod sapor ille, ac odor, qui in animalibus pluribus non castratis, per universum corpus diffunditur, maxime tamen in renibus percipiatur, ac potissimum in animalibus adultis: in novellorum ac teneriorum renibus, dum nondum fœminas ineunt, non re-

reperiatur? Addit præterea ex Oribasio lib. VI. Collect. c. XXXIIX. ex retento semine renes male affici; inter calidorum renum signa a Medicis recenseri propensionem ad libidinem, somnia libidinosa, & nocturnas in somno pollutiones; qualitates insuper seminis ex renum constitutione Practicis deduci. Denique in gonorrhæa lumbis ad renum regionem pro semine imminuendo aut alterando remedia adplicari, ex Aretæo docet, lib. II. Chron. c. VII. & Alex. Tralliano lib. XI. c. IX. Atque huic Sennerti sententiæ probandæ adde quod Plinius habet lib. XXXIV. c. XVIII. *Plumbum, ad alligatis lumborum & renum parti laminis, frigidiore natura inhibere impetus Veneris:* additque exemplum: *Calvum Oratorem visa Veneria sponte naturæ erumpentia, usque in morbi genus his laminis cohibuisse.* Adde Galenum lib. V. de tuenda valet c. ult. lib. VI. de loc. adf. c. ult. & lib. XIV. meth. med. c. VII. qui athletas similiter ad pollutiones nocturnas inhibendas, & Veneris impetus compescendos, lami-

nas

nas plumbeas adhibuisse scribit, & lumbis ceratum ex simplici rosaceo, cum aqua frigida subacto, applicat in priapismo. Adde Aetium, qui cum Theod. Prisciano lib. II. c. XI. lumbis non tantum laminam plumbeam, & refrigerantia adhibet, sed decubitum etiam supinum damnat ne partes lumborum incalescant, & malum inde augeatur, Tetrab. I. serm. III. c. XXXII. & XXXIII. Adde Oribasium Synops. lib. IX. c. XXXIX. & XL. & Paullum Æginetam lib. III. c. LV. & LVI. quorum uterque idem statuit; hic vero etiam urinas scientia medicamenta in gonorrhœa prohibet, ne renibus in lumborum regione positis noceant. Nec latuit hæc res Avicennam, qui lib. III. sen. XIIX. cap. IX. inter signa renum extenuatorum, & exoletorum, ponit defectum coitus; & c. XI. caussam debilitatis renum inter alia facit frequentiorem coitum: & c. XIII. ad debilitatem renum corrigendam coitus suadet abstinentiam. Nec ignoravit Aaron, medicus celebris apud Rhasen, lib. XI. Contin. c.

V.

v. qui ait. *Si erectio veretri fueri debitis, erit caussa ex hepate & renibus.* Et trahendus huc Aristoteles, qui animantia alia, præter hominem, gonorrhœa non laborare ideo putavit, quod in dorsum non decumbant, Probl. sect. x. pr. XIIX. Nec videntur hanc rem ignorasse matronæ Athenienses, quæ in Thesmophorion festo (quando seorsim cubabant a viris,

Perque novem noctes Venerem tactusque virileis
In vetitis numerabant,

ut Ovidius loquitur lib. XI. Metam. fab. XI.) ex ἄγνῳ Latini *viticem & agnum castum* vocant, cubitus sibi sternebant *Vitex* enim ille, frutex est, seu arbuscula, libidini restinguendæ dicata. Igitur ejus folia dorso substernebant, ut eo modo vim seminis generandi, & libidinem concitandi, in renibus, partibusque vicinis morarentur. Historiæ meminere Dioscor. lib. I. c. CXVI. Plin. lib. XXIV. c. IX. Galenus lib. VI. de simpl. med. fac.

Ælian.

Ælian. de anim. lib. IX. c. XVI. Neque alia est caussa, ob quam renes animalium, & præcipue hirci, ad coitum; atque ab Aëtio partes quæ sunt circa renes scinci, ad tentiginem fascini excitandam commendantur, loco adducto c. XXXV, Nisi quod analogiam quandam habeant, & similitudinem cum renibus humanis, ob quam juvare eos credantur, & ad officium generationi destinatum excitare. Quemadmodum & iis, qui minus in Venerem sunt prompti, inter alia medicamenta, unguenta calida, non partibus pudendis tantum, sed renum etiam regioni inungenda, præscribi solent; & diuretica valida, ut cantharides; ac decubitus in dorsum imperari: ut & renes hoc pacto incalescant; & semen ad testes concitetur, ac qui in Venerem frigidi languent, reaccendantur. Unde Rhases lib. XI. Contin. c. V. *Quoties*, inquit. *fricantur lumbi cum medicinis calidis, veretrum crescet in erectione, & magnificabitur*. Et Misih Arabs, in Summa apud eundem Rhasen; *Calefactio dorsi*,

si, ait, *subvenit ad luxuriam*: (h. e. facit irritandæ libidini) *& sicut infrigidatio ejus & dormitio super folia frigida, diminuit luxuriam, ita calefactio auget in luxuria mirabiliter*. Ex quibus omnibus primum hoc concludimus, facere quidem ad Venerem exercendam lumbos, ut ex partibus suis constituuntur, & cum primis venas & arterias, ut quæ materiam ac spiritum deferant, quod volebat Cagnatus; præcipuum tamen organum esse renum παρέγχυμα, cujus beneficio semen primum incipiat elaborari, perfici deinde porro, & æquabilitatem indipisci in vasis, quæ & Sennerti, ut patuit, & nostra est sententia. Nec tamen de nihilo est, quod Nemesius notabat cum Isidoro, & Matthæus, salsedinem quandam, & serosam materiam simul semini communicari & tentigni excitandæ a renibus ad testiculos *adimplaustrari*, quod verbi hac ipsa in re usurpat Papias Grammaticus, in Vocabulario, Concludimus porro, flagra dorso sive lumbis inflicta, quia partes semini generando di-

dicatæ, ac semen ad genitales partes deferentes, ab iis incalescunt, in Venere excitanda, aut libidine, multum posse. Unde non mirum extincti illos pudoris bipedes libidinisque abominandæ victimas, de quibus egimus; aut alios nimia Venere exhaustos, lumborum partibus defectis lumbisque solutis, a flagris remedium quæsivisse. Horum enim incussu partes refrigeratas verisimile est rursus incalescere, ac materiæ seminali fervorem conciliari, accedente præsertim partium verberatarum dolore, qui facit, ut uberis sanguis, spiritusque attrahantur, donec calore ipsis etiam generationis instrumentis communicato, male feriatæ voluntatis desiderium expleatur, & natura etiam invita, atque ultra modum potentiæ suæ, vi in flagitia adigatur. Hæc mea est sententia, mi Cassi. At inquies, illi quidem, de quibus tu agis, abominanda libidine exhausti, ut illicitam Venerem continuarent, porroque in eodem scelerum cœno se volutarent, remedium hoc usurparunt. Quæro autem,

post-

postquam res ita habet, an non eodem non secus ac medicamentis aliis, citra crimen ac reprehensionem uti is etiam possit, qui licitæ quidem Veneri addixit operam, latera tamen, & quæ præterea utramque hic paginam implere dedebant, languidiora experitur, aut plane ut Virgilii utar verbis ex lib. III. Georg.

Frigidus in Venerem fertur, frustraque laborem
Jucundum trahit, & si quando ad prælia ventum,
Ut quondam in stipulis vanus sine viribus ignis
Incassum furit;

ut creditricis etiam, non dicam debito, sed nec τῷ interesse saltim sit solvendo? Quidni vero, amice Cassi? Te quidem, remedii id genus ut usurpes minime opus habere, juramento quinquagenario contendere paratus sum. Aliud nempe de te, qui Medicus audio, atque hac in te ex artis prescripto judicare quidpiam aut pos-

possim, aut debeam, non falsus conjectator pridem præsumpsi. Aliud modo testatur nuptæ novellæ & musteæ uterum recenter verminans, testis omni exceptione major, & cui fides merito arbitranda, cui felicem etiam justo tempore λυσιν Deum poscimus. Ut cum aliis idem communices remedium si qui sint, qui opus habeant difflagellatore,

Qui valide intorto verbere terga secet;

nullus vetabo. Αφθονυς esse oportet non Μυσων tantum θυραισι, quod vulgo dici solet, sed ιατρων maxime. *Invidentiæ* enim *crimen*, ut Scribonius Largus ait in Epistola ad C. Julium Callistum, *quum omnibus invisum esse debent, tum præcipue Medicis: in quibus nisi plenus misericordiæ & humanitatis sit animus, secundum ipsius professionis voluntatem, omnibus Diis & hominibus invisi esse debent*. Ego tamen in tui saltim gratiam, ω φιλον καρα, quum ita volueris, animi mei sententiam liberius

rius paullo tibi explicare volui. Tu boni qualia qualia consule, & me tuum porro ama, quod facis, jocisque innoxiis, qui in seria tamen ducunt, veniam impertire & bene vale.

F I N I S.